



I, 16.



I, 16.

15

R E C T O R  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
ERNESTVS  
FRIDERICVS  
VVERNSDORFIVS

S.S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS ALVMNORVM  
ELECTORALIVM EPHORVS

I N S T I T V T V M

HENRICI GOTTHELFF GLASEYVALD

L. L. A. A. M. ET S. S. THEOL. CVLT.

IPSO DIE MEMORIAE REPVRGATORVM SACRORVM


A. P. C. N. C I S I O C C L X V I .

LEGI LIBERALITATIS VVEYRAVCHIANAE  
O R A T I O N E  
I N M A I O R I A V D I T O R I O

HABENDA SATISFACTVRI

C I V I B V S

C O M M E N D A T .

  
*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XXIII.  
de originibus Saxonis XIV.*

**M**ultum semper negotii hominibus eruditis  
quaestio haec faceffuit, quo potiffimum  
tempore Saxones in Germania mediterranea  
inter Albim atque Rhenum stabiles se-  
des ceperint. Nam ad Francorum vsque in Galliam  
migrationes illae gentes, e quibus Francicum cor-  
pus coaluit, in his adhuc terris deprehenduntur,  
nullo indicio, quaestitarum ibi armis regionum a Sa-  
xonibus, qui in societate potius Francorum Roma-  
nas prouincias, circa maris praesertim litora, saepius  
incurfauerunt, vti cognoscimus ex EUTROPIO (l. IX.  
c. XIII.), AVRELIO VICTORE (de Caes. c. XXXIX.),  
EVMENIO (Paneg. IV. c. XII.), IULIANO (orat. I.  
p. 34. ed. Spanh.) Vnde dubitandum minime erit,  
transgressis demum Francis Rhenum, in illorum lo-  
cum successisse Saxones per borealem Germaniam;  
quia non diu durasse istam vtriusque populi ad car-  
pendam rem Romanam confociationem, comperi-  
mus, vt vterque separatim potius particulas, quas  
licuit, istius imperii, sibi proximas, aut occupationi  
ex occasione opportunas, auulferit. Saxones certe,  
adiunctis sibi Chamauis, Francos Salios e Batauia A.  
P. C. N. CCCLVIII. eiecerunt; vti nos IULIANVS  
(in epist. ad Athen.), AMMIANVS, (l. XVII.) ZOSI-  
MVS (l. III. c. VI.), et EVNAPIVS (in excerpt. legat.),  
docent; cuius expeditionis alio tempore memoriam,  
qualis conseruata ea est, excitabimus. Iidem saepi-  
us posthac Francos bello laceffierunt, vt A. P. C.  
N. DLV. praesertim, regnante apud hos Chlotario:  
quod

quod magno argumento sit, non auxilio vel societate Francorum, sed suis eos viribus continente Germaniae, quam olim Francorum maiores tenuerant, potitos esse. Quando autem hoc acciderit, clare iis in monumentis veterum, quae supersunt, non est proditum. Nos coniectura ducti, cuius nec dum nos poenitet, in spec. harum antiq. XV. ad illam excursionem gentis Deusonam vsque respiciendum monuimus, quia haec nisi per terras iam secura possessione occupatas fieri non potuisset, et quia nec nationum, quae in Francorum nomen transierunt, neque ipsorum Francorum post haec vestigia inter Albim, Amisiam, et Luppianam notantur. Prima sedes, quam a vetustissimis scriptoribus domesticis tam ex relatu maiorum, quam litterarum etiam monumentis, dudum tamen perditis, tenuisse, eos est proditum, Hadeleria fuit. Consentiunt in hoc MEGINHARDVS (in Biblioth. Hist. Goetting. T. I. p. 3.), VIDECHINDVS (l. I. p. 629. ed. Meib.), et SCRIPTOR INCERTVS, ALVDEWIGIO (Reliq. T. VIII. p. 154.) editus, qui sub Ottone III. scripsisse intelligitur. Vt multa alia huic narrationi fidem faciunt; ita sinistrae huius Albis propius ostia ripae gloriam praebiti primum maioribus nostris hospitii, mox et certae sedis, praeclare vindicant tot nomina locorum atque fluminum, quae secum non aliunde in Britanniam Saxones intulerunt; vt nuper erudite ostendit c. v. GRYPEN, V. III. (Orig. Germ. de orig. Harburg. Obs. III. p. 125.) Hoc autem minime fallax indicium veterum memoriarum esse, alia etiam exempla probant; sicuti olim

Sorabos e pristinis suis sedibus Croatia et Dalmatia vocabula, locis et vicis per Misniam imposita, repetiisse, SCHOETGENIVS monstravit, et ab Hollandis atque Flandris, quos in nostram viciniam Albertus Vrſus euocauerat, pleraque nomina opidis vicisque, tunc demum conditis indita esse nouimus. Differunt tamen trium, quos diximus, quosque recentiores deinde fere secuti sunt, scriptorum narrata de regione, e qua in Hadeleriam nauibus aduecti fuerint Saxones. Vnde operae pretium fuerit in fontem inquirere, e quo sua hi hauserint. Ex Francicis scriptoribus, qui nihil tale prodiderunt, haec ipsos non habuisse, satis adparet. MEGINHARDVS, qui aetate praecedit, id solum profitetur, antiquitatem sic tradidisse. Videtur ergo fuisse haec memoria auorum atque senum narratione ad minores propagata. Videchindvs etiam solam se fere famam in origine gentis prodenda secutum, ait; qui tamen de aduentu in Hadeloam subiicit, hoc pro certo notum esse. SCRIPTOR autem incertus Ludewigii, se in scripturis inuenisse hoc, testatus, neque Meginhardum, nec Videchindum, habuisse auctorem videtur, quia in reliquis ab utroque discrepat circa nonnulla singularia. Nam quod Lutulogam, pro Hadeloia, locum exscensionis adpellat, errori descriptorum esse tribuendum, haud erit obscurum. GOBELINVS insuper PERSONA (cosmodr. aet. V. c. XI. p. 158.) expresse ponit: *Fama tamen celebris fuit apud Saxones antiquitus, et litteris sic commendatum inuenitur.* Litterarum monumenta fide satis digna Saxonibus ante-

antequam ad Christianam religionem opera Caroli  
 M. adducti, et a sacerdotibus eruditi sunt, tribuere  
 forte nondum licuerit. At quis eandem praeclara  
 et fortiora virorum illustrium facta et res maiorum  
 recolendi per carmina, de quibus, quantum ad gen-  
 tes sententionibus subiectas attinet, omnia iam per-  
 uulgata sunt, consuetudinem solis Saxonibus abiudi-  
 cauerit? Ita THEODORICVS certe, monachus Ni-  
 drosiensis, qui circa tempora Friderici I. imp. scripsit  
 historiam regum Noruagicorum, multum in acce-  
 ptis referendum antiquis carminibus Islandingorum  
 putauit, et in prologo sic inquit: *Operae pretium duxi,  
 Vir Illustrissime, pauca haec de antiquitate regum  
 Norwagensium breuiter annotare, prout sagaciter  
 perquirere potuimus ab eis, penes quos horum memo-  
 ria praecipue vigere creditur, quos nos Islendingos vo-  
 camus, qui haec in suis antiquis carminibus percele-  
 brata recolunt.* SAXONEM etiam GRAMMATICVM  
 plures vetustas historias quis ex huiusmodi poëmati-  
 bus repetiisse nescit? Quod si tamen quis diceret, de  
 Saxonibus hoc proprie neminem memoriae tradi-  
 disse; ei ex praefatione in librum antiqua lingua Sa-  
 xonica conscriptum, quae inter HINCMARI episto-  
 las (p. 634. ed. Corder.) exstat, responderemus, in  
 qua de poësi tali inter ipsa rei Christianae apud Saxo-  
 nes primordia non inusitata praeclarum testimonium  
 auctoris habemus: *Praecepit nempe (Carolus M.) cui-  
 dam viro de Gente Saxonum, qui apud suos non igno-  
 bilis vates habebatur, ut vetus ac nouum testamen-  
 tum in Germanicam linguam poëtice transferre stude-*

ret, quatenus non solum litteratis, verum etiam illiteratis sacra diuinorum praeceptorum lectio panderetur. Qui iussis imperialibus libenter obtemperans, nimirum eo facilius, quo desuper admonitus est prius, ad tam difficile tamque arduum se statim contulit opus. Si porro etiam exciperetur, cur hi tamen scriptores ad antiquorum carminum fidem non prouocauerint: sic occurri dubitationi posset, veteres Saxonum cantilenas, ob admixtas pristinae superstitionis particulas, sacerdotibus exosas et suspicioni obnoxias fuisse. Unde illarum mentione abstinendum duxerint, qui res gestas memoriae mandare instituerint. Quid quid vero sit, siue ex antiquis carminibus, siue ex meris maiorum sermonibus, hae notitiae domesticae aetate Meginhardi ipsis in locis, quae tam illustribus euentibus nobilitata fuerant, facile conseruari potuerunt; quamuis circa rerum adiuncta variari et falsis explanationibus peccari potuerit. Huc referas, quod MEGINHARDVS retulit paullo obscurius et ambiguitate implicatum: *Saxonum gens, sicut tradit antiquitas, ab Anglis, Britanniae incolis, egressa, per oceanum nauigans, Germaniae litoribus studio et necessitate quaerendarum sedium appulsa est in loco, qui vocatur Haduloba.* Nam qui antiquiores scriptores, BEDAMQUE in primis, adhibuerit, non dubitauerit, haec commoda hac metaphrasi sic esse exponenda: *Saxones in iisdem olim terris, in quibus initio Angli, Britanniae postmodum imperio potiti confederint, colentes, exuberante multitudine, et saeuitia maris, magnam continentis partem vndis obruentis, ad quaerendas*



*das nouas sedes compulsos, nauibus tandem in Hadelo-  
am applicuisse.* Quod uero hanc illorum egressionem  
temporibus Theodorici regis adsignat, manifeste fidei  
rerum repugnat, et inde natus est error, quod res con-  
tra Thuringos in prima occupatione continentis cis  
Albim gestas et expeditionem in societate Theodori-  
ci, temporibus et locis disiunctissimas, confudit. Quod  
autem ad uictoriam de Thuringis, eorum locorum  
tunc cultoribus, relatum attinet, tam absonis rebus tam  
VIDECHINDVS, quam SCRIPTOR iste incertus, narratio-  
nem interpolauerunt, ut ipsos quaedam ex obscurae ve-  
tustatis uestigiiis parum sagaciter adsecutos, facile intel-  
ligas. Quod enim habent de terra, quam Saxo a Thu-  
ringo multo auro mercatus, ad populares retulerit,  
sparsaque eius puluere per multa spatia regionis, his  
occupationis auctor fuerit, nimis lepide detortum cor-  
ruptum que uidetur ex narratione quadam obscuriore  
rei gestae, qua indicatum id auctor uoluerit: Saxones,  
exsensione in litus facta, foedus initio cum accolis  
Thuringis iniisse, ut pacate subducere classem, et castra  
in continente metari, atque commercio necessaria ui-  
tae comparare liceret: Postea quosdam pretio partem  
etiam agri mercatos, dolose a uenditoribus pro symbo-  
lo translatae proprietatis solemni cespitem accepisse,  
quam populares stipulationem callide interpretati uni-  
uersae regionis possessionem, ex obtentu uetustissimae  
consuetudinis herbam, uel cespitem uiuum, in signum  
recepti uictoris ac domini porrigendi, petierint, et ar-  
mis repugnantes oppresserint. Manu quasi nos ad hanc  
explicationem deduxit PLINIUS, qui (Hist. Nat. l. XXII.  
c. IV.

c. IV.) *summam, scribit, apud antiquos signum victoriae erat, herbam porrigere victos, hoc est, terra et altrice ipsa humo et humatione etiam cedere: QVEM MOREM ETIAM NVNC DVRARE APVD GERMANOS scio.* Cessae etiam in pace proprietatis hoc signum solennae et frequens inter gentes Germanicas qui ab exemplis, quae DV FRESNE sub lemmate: *inuestitura per herbam, per cespitem, per guafonem,* et VERPOORTENIVS in doctissima scriptione de inuest. allod. congesserunt, expenderit, aequore forte animo coniecturam hanc nostram admiserit.

Quod testamenti Weyrauchiani tabulis cautum est, vt alumnus liberalitatis, a testatore in honorem prioris religionis nostrae impensae, memoriam diuini beneficii in restitutione sacrorum, a corruptelis vindicatorum, pie sollemnique oratione recolat, id die, qui hoc nomine festus agitur, exsequetur HENR. GOTTHELFF GLASEWALD LL. AA. M. et SS. Th. cultor ornatissimus, et in auditorio maiori publice verba faciet, de salubri parsimonia temporis circa sacra peragenda per instauracionem verae doctrinae reducta. Vos, CIVES, neque frequentia nec beneuolentia tam praeclaro instituto deeritis, honoremque oratori, quem meretur, habebitis, et vota vobiscum concipietis, vt aduersarii nostri, errorum nocentissimarum defensores et propugnatores, Christo victoriet vnico veritatis vindici, herbam tandem porrigant. P. P. a. d. VII. Cal. Nov. A. P. C. N. cIb Ib cc LXVI.

---

VITEBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.





T. 2972

ULB Halle  
007 441 851


3



9c







15

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
ERNESTVS  
FRIDERICVS  
VVERNSDORFIVS

S.S.THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS ALVMNORVM  
ELECTORALIVM EPHORVS

INSTITVTVM

HENRICI GOTTHELFF GLASEYVALD

L. L. A. A. M. ET S. S. THEOL. CVLT.

IPSO DIE MEMORIAE REPVRGATORVM SACRORVM

A. P. C. N. C1310CCLXVI.

LEGI LIBERALITATIS VVEYRAVCHIANAE


ORATIONE

IN MAIORI AVDITORIO

HABENDA SATISFACTVRX

CIVIBVS

COMMENDAT.



*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen XXIII.  
de originibus Saxonis XIV.*

